

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum**

**Fecht, Johann**

**Francofurti et Spirae, 1684**

**VD17 VD17 3:315948Z**

LXI.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](#)

## LXI.

*S. D. Reverende Dn. Doctor, Superintendens,*

*Domine ac frater observande & carissime.*

**G**ratias tibi reverenter ago, quod hunc nostratem Melchiorem Junium benigne complexus juvisti, ut vestro beneficio isthic incumbere studiis bonarum artium & Theologiae potuerit haec tenus, teque oro quam possum officiosimè, ut isthuc revertentem fiducia vestrae benignitatis, posthac quoque tibi commendatum habeas, ut egenetem orphanum, & studia ipsius tuo patrocinio consilio & ope provehas, ut confirmata ætate & formato iudicio servire Ecclesiæ Dei possit. Ex ipso statum iterum nostratum cognosces, qui quidem Dei beneficio adhuc mediocris est. Bellum adhuc ardet ad mare Balthicum inter duos Reges vicinos & sobrinos, cum utriusque damno & jactura ferme incomparabili, tantis exarserunt inter se odii, quæ cumulata sunt acceptis & illatis ultro citroque jam injuriis & cladibus, adeò, ut nullas pacis conditio-nes, latas utrique Rostochii ab Imperatoris, aliquot Electorum ac Principum legatis, accipere voluerint. Ejus incendii damna etiam sentiunt vicinæ regi-ones & maritimæ civitates omnes, atque procul etiam habitantes negotiatio-num socii. Deus avertat, ne idem incendium scintillas suas spargat in hanc quoque terram Misnicam, propter affinitatem, quæ nostro Electori est cum Rege Danico. Mitto tibi scripta quædam, ex quibus cognosces, Dei beneficio iterum coalescere studia & voluntates vicinarum Academiarum, misere distractas prius spiritu Flacico. Nos quidem putamus & Deo gratum esse & Ecclesiæ utile hoc studium nostrum juvandæ & confirmandæ conjunctionis, de qua illa est amplissima promissio: Quia ibi mandavit Dominus benedictio-nem & vitam usque in seculum; Et Christus inquit: Beati pacifici, quia filii Dei vocabuntur. Vobis etiam gratulor istam in Ecclesia tranquillitatem, & Deum oro, ut dulcis inter vos & omnes coniunctarum Ecclesiarum gubernatores diu sit concordia. Bene ac fœliciter vale cum tuis omnibus, & saluta tuos collegas omnes, & gubernatores studiorum in celebri Gymnasio vestro, & Dominum Doctorem Sebaldum fratrem mihi carissimum. Salutat te filius meus Paulus, cui desponsata est Domini Doctoris Georgii Majoris filia, Maria, celebraturo nuptias Deo juvante die Galli, quo die tu quoque votis piis tuis nobis assistes. Date festinanter 16, die Septembr. Anno 1564.

Paulus Eberus.

LXII.